



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Catalogus Praepositorum peruetustae huius Ecclesiae seu Monasteri ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

historiorum communi testificatione & consensu constat, S. *Venerium* in locum S. *Simpliciani* surrogatum, & *Magorum* corpora ab *Eustorgio* primo huius nominis Archiepiscopo ante tempora S. *Ambrosij* pie defuncto *Constantinopoli Mediolanum* translata esse: & vtrumque Archiepiscopum *Martinianum* & *Arsacium*, maximè hunc post S. *Simplicianum* annis propemodum 173. obiisse. Adde quod in toto Archiepiscoporum *Mediolanen.* Catalogo nemo hoc nomine reperitur.

Nihil plane dubitamus eundem esse sanctum *Arsacium*, cuius facit mentionem *Clarissimus* & doctissimus vir *Petrus Galestinus* Prothonotarius Ap<sup>cus</sup>. in suo Martyrologio, duodecima die Nouembris his verbis: *Mediolani S. Arsacii* Episcopi, atque in notationibus addit, se ista habere ex libro peruetusto *Ecclesie Mediolanensis*. Nam eodem ipso die singulis annis festum illius ex antiqua traditione hic Monachij, & antea in pago *Illmunstrensi* ab annis 840. & quod excurrit solenniter celebratur, & celebratum est.

Atqui suspicamur eundem quoque esse cuius reliquis aliquas R<sup>mus</sup>. & Ill<sup>mus</sup>. Card: *Borromæus* sanctæ memoriæ anno 1581. 18. Calendas May, in loco decentiori collocavit. Si Dominus *Galestinus* adiecit, quo in loco fuisse Episcopum, minus laboraremus,

Cum itaque verissimum sit eius corpus *Mediolano* in *Bauariam* translatum, iam ab annis circiter 850. in duob. istis templis *Illmunstrensi* & *Monacensi*, magna cum veneratione & credentium consolatione & fructu asseruatum esse: verissimum apparet eum in aliqua saltem ciuitate laicissimè patens Archiepiscopatus *Mediolanensis* Episcopum fuisse.

Catalogus Præpositorum peruetustæ huius Ecclesiæ seu Monasteri ad Illmum proponendus hoc conuenienti loco à nobis esset: verum prohibent facere tot centeni anni à prima fundatione elapsi: tot interim damna hinc inde illata; nec non causæ aliæ, quas sciens lubès suo loco repono. Si quidpiam certi deinceps compertum habuero, faciam ne obliuio absumat. De duobus Præpositis testantur monumenta mihi visa, & perlecta, quos vt perennes sint, adnotare volui. sunt autem.

VLRICVS Leonroder, vel Levenroder, an. 1315. vixit ad hucan, 1348. & diplom. anni illius vocatur *Ulrich von Leonrod*.

IOHANNES, an. 1424.

### INGOLSTADIENSIS VNIVERSITAS.

ANNO Domini 1472. Ludouicus Dux *Bauariæ inferioris*, præhabito consilio ac autoritate summorum Pontificum, Pij secundi, ac eiusdem Successoris *Pauli secundi*, primus instituit generalem Vniuersitatem in sua ciuitate *Ingolstat*, iuxta *Danubium*, ad formam Vniuersitatis *Viennensis*, iisdemque priuilegiis: quam dotauit Capella ac domo præbendaria, vulgariter *Wfrändlshaus*, quam Ludouicus Dux *Bauariæ*, dictus *Barbatus*, ac Comes *Martaniæ*, agnatus suus. paulò antè pro 12. pauperibus laicis construxerat: Quæ ad huc nomen veteris Collegij retinet, vna cum suis redditibus ac censibus, nec non illis, quæ præfatus Dux *Ludouicus Ingolstadiensibus* pro 12. Choralibus, qui die noctuque in *Templo B. Mariæ virginis*, à se ex fundamentis magnificè constructo,